# Eugenius episcopus servus servorum dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Licet is de cuius munere venit ut sibi a suis fidelibus digne et laudabiliter serviatur de abundantia sue pietatis que merita supplicum excedit et vota bene servientibus sibi multo maiora retribuat quam valeant promereri nichilominus tamen desiderantes domino populum reddere acceptabilem et bonorum operum sectatorem fideles ipsos ad complacendum ei quasi quibusdam allectivis muneribus indulgentiis videlicet et remissionibus invitamus ut exinde reddantur divine gratie aptiores. Cum igitur ecclesia sine cura sancti Mariani que alias curata insignis admodum et preclara fuit quequidem ecclesie sive domui fratrum Predicatorum Cremonen. contigua est et quam quondam sicut nobis dilectus filius Magister Baptista de Palavicinis Canonicus Cremonen. Scriptor et familiaris noster exponere curavit Nobiles viri Marchiones Palavicini progenitores sui magno et excellenti opere laudabiliter fundaverunt et erexerunt in suis structuris et edificiis que propter eorum nimiam vetustatem ruinam minantur adeo quod in ea non sine magno cum periculo Misse et alia divina officia celebrari possunt reparatione nonmodica indigere noscatur ad quam ipsius ecclesie minime suppetunt facultates sintque christifidelium suffragia plurimum oportuna. Nos cupientes ut ecclesia ipsa congruis honoribus frequentetur ac in structuris et edificiis huiusmodi congrue reparetur et conservetur utque christifideles ipsi eo libentius causa devotionis confluant ad eandem et ad illius reparationem ac conservationem manus promptius porrigant adiutrices quo ex hoc ibidem dono celestis gratie uberius conspexerint se refectos de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi omnibus vere penitentibus et confessis qui in festivitate eiusdem sancti Mariani a Primis vesperis usque ad Secundas vesperas ecclesiam ipsam devote visitaverint annuatim et ad reparationem et conservationem huiusmodi manus promptius porrexerint adiutrices ut prefertur Quinque Annos et totidem Quadragenas de iniunctis eis penitentiis misericorditer relaxamus. Presentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem quod si alias dicte ecclesiam visitantibus et ad illius reparationem manus adiutrices porrigentibus aut inibi pias elemosinas erogantibus aliqua alia indulgentia a premissis imperpetuum vel ad certum tempus nondum elapsum duratura per nos concessa fuerit illa nullius existat roboris vel momenti. Dat. Florentie Anno Incarnationis dominice Millesimoquadringentesimoquadragesimo Sexto [...] July Pontificatus nostri Anno Decimo.

97. 1440 [illegible]

Blondus

Gratis

Morbio 6 (97)

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1800791836-12/fragment/page=0001
DFG

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1800791836-12/fragment/page=0002

97.

Eugenius eps seruus seruorum dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Licet is de cuius munere uenit ut sibi a suis fidelibus digne et laudabiliter seruiatur de abundantia sue pietatis que merita supplicum excedit et uota bene seruientibus sibi multo maiora retribuat quam ualeant promereri nichilominus tamen desiderantes domino populum reddere acceptabilem et bonorum operum sectatorem fideles ipos ad complacendum ei quasi quibusdam allectiuis muneribus indulgentiis uidelicet et remissionibus inuitamus ut exinde reddantur diuine gratie aptiores. Cum igitur ecclia sine cura sancti Martini que alias curata insignis admodum et preclara fuit queque ecclie siue domui fratrum Predicatorum Cremonen. contigua est et quam quondam sicut nobis dilectus filius Magister Baptista Palauicinus Canonicus Cremonen. Scriptor et familiaris noster exponere curauit Nobiles uiri Marchiones Palauicini progenitores sui magno et excellenti opere laudabiliter fundauerunt et erexerunt in suis structuris et edificiis que propter eorum nimiam uetustatem ruinam minantur adeo quod in ea non sine magno cum periculo Misse et alia diuina officia celebrari possunt reparatione nonmodica indigere noscatur ad quam ipsius ecclie minime suppetunt facultates sintque christifidelium suffragia plurimum oportuna. Nos cupientes ut ecclia ipsa congruis honoribus frequentetur ac in structuris et edificiis huiusmodi congrue reparetur et conseruetur utque christifideles ipsi eo libentius causa deuotionis confluant ad eandem et ad illius reparationem ac conseruationem manus promptius porrigant adiutrices quo ex hoc ibidem dono celestis gratie uberius conspexerint se refectos de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli Aplorum eius auctoritate confisi omnibus uere penitentibus et confessis qui in festiuitate eiusdem sancti Martini a Primis uesperis usque ad Secundas uesperas ecclesiam ipsam deuote uisitauerint annuatim et ad reparationem et conseruationem huiusmodi manus promptius porrexerint adiutrices ut prefertur Quinque Annos et totidem Quadragenas de iniunctis eis penitentiis misericorditer relaxamus. Presentibus perpetuis futuris temporibus ualituris. Volumus autem quod si alias dictam ecclesiam uisitantibus et ad illius reparationem manus adiutrices porrigentibus aut inibi pias elemosinas erogantibus aliqua alia indulgentia a premissis imperpetuum uel ad certum tempus nondum elapsum duratura per nos concessa fuerit illa nullius existat roboris uel momenti. Dat. Florentie Anno Incarnationis dominice Millesimoquadringentesimoquadragesimo Sexto K[illegible] Julij Pontificatus nostri Anno Decimo.

Blondus

Gratis.

Morbio 6 (97)

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1800791836-12/fragment/page=0003